

Memorabilis in morbo patientia.

In nova Francia anno 1650, quidam Michael E. Kovaendal dictus, juvenis viginti duorum annorum, magnæ virtutis, cum æger multa toleraret a chirurgo, morbo in exigente, Dei causa libenter omnia perferrebat, et seipsum animans: « Si Dæmones, inquit, aut Hiroquenses (jurati eorum hostes) infideles meum corpus supplicii exercuerent, consolarem me ipsum, cogitans, Deum delectari patientia mea, etsi eorum crudelitatem et peccata detestarer. Nunc autem, dum is qui me affligit, facit hoc Dei amore, cui placet, quod agat id, quod mecum agit, causam habeo patienter omnia ferendi, ut Deus voluptatem capiat, quando me videt ita pati, ut ipse nulla ex parte offendantur. In Relat. novæ Franc. 1650.

Venter omnium membrorum sumptuosissimus.

In mensa cujusdam Prælati mota fuit questio, quodnam membrum sit sumptuosius in corpore humano? Responsum fuit ab omnibus, ventrem esse. Interrogatus postremo Philosophus, qui aderat, asseruit oculos plures facere sumptus, quam corporis quodvis membrum. Quia sex sunt, quæ sumptus faciunt nimios, vestes pretiosæ, equi, ædificia, libri, cibaria, vasa argentea, et aurea. Superfluitas autem ista non est ob aliud in venta, nisi ut pascat oculos proprios, et quod miserabilis est, alienos. *Litora in ocul. mis. c. x. n. 1.*

Ecclesie mutatio.

Cum Petrus Senoani Archiepiscopus Abbatiam Clavallensem aliquando adisset, ut quemdam Conversum illic visitaret, qui frequenter rapiebatur in extasin, postulavit ab eo sibi aliquam visionem enarrare. Cui alter: « Vidi, inquit, Dominam quamdam speciosissimam, auro et gemmis ornatam. Ea mihi stupenti dixit: quemnam sum? Respondi videri mihi esse B. Virginem; tum illa: respice me a tergo; cumque a tergo viderem, vidi

eam putridam, et vermibus scaturientem. Nunc, inquit illa, potes videre me B. Virginem non esse, sed sum Ecclesia, quæ in primo statu, quasi in anteriori parte, scilicet in Apostolis, in Martyribus, et Confessoribus sui pulcherrima, et decenter ornata, sed a parte posteriori, id est, postremo tempore, ut in modernis Prælati sum putrida, sordidum, et ignominia plena. » *lb. c. xii. instruct. 4. n. 18.*

Doctrina potior armis.

Calistus III qui Nicolao V successit, et omnes bonas artes restituit, ac fovit, cum intellexit periculum, quod Ecclesie imminabat a Jacobo Piccino belli Duce, intrepidus respondit, habere se tria millia doctissimorum virorum, quorum consilii sapientiaque omnes omnium simul Europæ Ducum conatus facile reprimi, contundique possent. *JUGLARIIS rerit. 19. §. 11.*

Clericus malus a Poeta reprehensus.

Poeta quidam Christianus ita olim malos Clericos singillatim:

Curant non aras, sed haras, non vera sed ora:
Non equum, sed equos, non inopes, sed opes.
Libras non libros relegend, parentque monete.
Non monitis, pretio non prece quemque juvant.
Non alleluia recitare, sed alia noverunt.
Plus in Salomone, quem Salomone legunt.

ADAM SCHIRMER, p. 2. not. fac. fol. 439.

Conceptio Immaculata B. Virginis mirabiliter illustrata.

In Hispania quodam vespero orta immani tempestate, inter varia fulmina, et grandines cœlum lapidem dejecit ita micantem, ut plures alliceret ad videndum, et explorandum, ac reperto sunt incisæ litteræ hoc sensu: *Salve Maria Virgo, et Mater Dei concepta sine peccato originali.* In Relat. Hispan. 1665.

Eadem fortiter defendenda.

Est Matrî domicilium quoddam Dominicanorum, cui nomen vulgo Collegii de Athoeca, ubi inclyta miraculis imago B. Virginis, quam Dominam nostram de Atocha, publica religione colitur. Contigit autem mense Augusto proxime superiore, ut oborto incendio, quo et templum Atochanum et cœnobium delagravit, subducta flammis sacra imago ad Monasterium Sanctissimæ Trinitatis exportaretur. Sed brevi reedificatam eodem loco, ubi templum Atochanum erat, ædícula non incommoda, placuit Patribus Dominicanis, venerandum Statuæ pignus in antiquam sedem restituere, ejusque translationem, sen relictum magnifico apparatu honestare. Factum id splendide et honorifice maximo populi concursu, et more gentis per octonos dies, adhibiti quoque Reges, ignes artificiosi, missilia et sulphurato pulvere, symphonica, nec defuere per noctem festivæ sagittarum jaculationes, varia volantium flammarum spectacula. Sed felicem totius Festi decursum, octavo die vesperscente, turbulentus exitus excepit. Sacros enim concentus terminaturi musici Regii, consuetæ causa, qua laudes SS. Sacramenti et sine labe conceptæ Virginis canere modulante solent, finem facere parabant. Declamabant illico Dominicani: cantores contra graviter dedignantur, et in proposito perstant. Neque loci reverentia deterriti nudant gladios. Denique colibitis refragatoribus usitatum carmen numerose pertexunt. Unde postmodum regressi, ut injuriam pietati suæ factam ulciscerentur, ac Patribus Atochanis ægre facerent, ea ipsa nocte chartam nigro tinctam, cui albis characteribus hæc verba inscripserant Hispano idiomate: « Maria sanctissima concepta sine peccato originali: » templi foribus affigunt. Illuxerat posterus dies 23 Novembris miras tragedias daturus. Hærebat valvis epigraphæ musicorum: prope adstabat quidam et Dominicanis subtristis, et tacita cogitatione defixus; quem de via conspiciat puer duodecim circiter annos natus, illac transiens, et amphoram vinariam manu gestans accedit, atque hominis mororem contactans e vultu: « Quid, inquit, animo versas Pater? Haud dubie sine peccato originali concepta est. » Cui Dominicanus: « Perge inceptum iter, atque abi, vilis mendicule. »

Tum puer convicio nil turbatus: « Ita est, ait, Pater, tametsi tibi doleat, sine peccato originali concepta est. » Lacesitus illa confidentia Pater erumpit in jurgium et contumelias. Puer strenue respondet, fit clamor et ingens concursus. Fremunt omnes contra Dominicanum, et pueri causam tument. Ille impatiens in sacellum se recipit, aliquid quaesiturus, quo musicorum epigraphen e foribus revelleret. Tandem nodosam cannam nactus redit. Forte in ædícula tunc orabat miles, qui in Dominicani exentis ore ac gestu aliquid intemperiei suspiciatus, insequitur, et arundine titulum illum radere, refrigere, ac concerpere mollientem dehortatur. Renuente Monacho miles arma expedit, et stricto gladio vim parat, et ultimum se B. Virginis injuriam clamat. Dominicanus suorum opem implorat: illi erumpunt et militem quidem a vi cohibent, sed non illius et turbæ voces. Clamant omnes, ignem Monasterio injiciendum; jam illud cum templo nuper arsisse, claro irati Numinis argumento. Nunc demum Monachos ipsos, qui non respiciunt, simul exurendos. Interea Virginis Antochanæ effigiem ab indignis, et Dei nitorem infamantibus, confestim auferendam. Interim multi et primaria nobilitate vel fortuito, vel rumore excitati adsunt, et causam tumultus inquirunt. Qua intellecta sæviant ipsi longe atrocius cæteris, queruntur tantum Hispaniæ dedecus, ut cui probrosum sit, Deiparæ majestatem imminui, gloriamque deformari ab illis, ut aiebant, canibus, quorum conditor Hispanus fuisset. Si quid simile alii Religiosi tentassent, continuo ab his ipsis de hæresi accusandos. Supervenerunt quatuor Religiosi, et Sancti Francisci familia casu pretereuntes pedites, et duo milis adveci, Benedictinus unus, alter Hieronymianus. Hi omnes populi forem animarunt verbis. Post multum fremunt decernunt omnes, rem ad inquisitionem deferendam. Interea titulum in librarij proxima officina restaurant optimates prægrandibus litteris in nova tabula et sacelli foribus affigunt, educti gladiis minati, si quis manum auderet admove. Quod si quispiam Deo in visus Monachus id audeat, effecturos se, ut sentiant, quantum ipsos Virginis sanctissimæ contemptio pupugerit. Hæc autem per quintam, et sextam vespertinam gesta cum essent, adii ego ipse locum certaminis circiter octavam. Nequid relanguit tumultus, opplevrat publicam viam confertissima multitudo, Cardinalem Toletanum opperiens,

quod advenire dicebatur. Plurimi autem e turba, Religiosum, qui mane musicorum titulum relexerat, ad supplicium deprecabant, atque in crenobium irumpere nitentur. Respondum est a cæteris Dominicis, cum esse æditum, hominem laicum, rudem et illiteratum, biennio non amplius Religiosum; jam domi non esse, alio migrare jussum. Quare ne fores effringent, ab octava serotina usque ad secundum matutinum stetero pervigiles prope omnes præ foribus Dominici, ut sui reverentia vim arcerent. Subinde autem valvæ postes ac superum limen convestita erant epigrammatis, sententis, emblematis, ut nil vacui supereset. Certabant ingenio, B. Virginem conceptam sine labe celebrantes. Nec vocandi fuere, qui legerent. Simul orta lux vicesimo quarto Novembris, confluxere tota ex urbe spectatores, qui vario illo ingeniorum partu oculos animumque pascebant. Ego quoque omnia perlegi, ac præ cæteris placuit poema supremo ostio magnis et venustis characteribus scriptum. Ecce autem ex alio aliud malum Dominicis. Die sequenti decernitur quadam potestate superior, ut sine mora adimatur eis sacra imago B. Virginis de Atocha, et ad Sanctimoniales, quas vocant Descalças de la Princesa, deferretur. Tum demum fulminata e nuntio, sine minorâ pericula, festo B. Virginis conceptæ brevi celebrando cedendum plane censuerunt, et publicæ pietati obsequendum. Invitant ergo musicos e templo Discalceatorum, rogantes impense, ut in sacello suo Atochano hymnos vernaculæ lingua de immaculata Mariæ conceptione populo audiente concinerent. Venere musici, et cum illis e civico Magistratu nonnulli, quorum postulatu et prope coacti ipsi etiam Dominici hinc e psallentium subselliis alternis clare, ac sæpius decantant: « Laudetur sanctissimum Sacramentum, et purissima Virgo concepta sine labe peccati originalis. » Colligebant gaudium, quicumque hoc dulci spectaculo intra ædem fruebantur; sed quia longe arcebantur loci angustia, P. Prior vir auctoritate et meritis gravis magnæque in urbe existimationis, prodit e sacello, dat se in luctantes cuneos, et ad mediam plateam parvam it: ibi denique omnibus ad eum rei expectatione conversis, magna voce illud idem clamat: « Laudetur SS. Sacramentum, nec non purissimam Virginem conceptam sine labe originali; » succlamavit universa multitudo: « Victoria! victoria! » Idque tam sonora et immani voce,

ut nemo potuisset tonitrua, si quæ fuissent, exaudire. Prior inter hilaris urbe plausus egrediens, sua ipse manu, spectante populo, e superliminari adis tabulam appendit longitudine septem pedum, latitudine unius, cujus in area cærulea literis aureis inustum erat hoc lemma: « Maria Sanctissima concepta sine macula peccati originalis; » eoque testimonio suum, suorumque suffragium lucculenter testatus abscessit. Præterea jussi sunt posthæc, qui ad introitum templi stipem a populo rogant, in sumptus cererum, his verbis constanter uti: « Date pro cereo SS. Sacramenti, et B. Virginis de Rosario Mariæ Sanctissimæ conceptæ sine macula peccati originalis. » Placuit autem ad rei perennitatem eam tabulam, quam P. Atochanus ostio appenderat, tenacius firmari. Conditur in matutinam diem seq. 26. Nov. Rursus conflunt cives indigenæ, advena. Tum vero applicatis scalis duo e Fratribus, seu Laicis Dominicis tabulam firmant clavis ingentibus, ferreisque fibulis tam valida malleorum impactione, ut nonnisi magna vi revelli posse videatur, tibus interim, ac tympanis personantibus. Ita tempestas resedit permisumque Dominicis, ut sequenti nocte per tenebras alia programmata tollerent uno excepto, quod erat ei inscriptioni simile, quam affixerant, et æditus sustulerat. Cui tamen hæc verba sunt addita: « Ne me hinc auferant, uti socio meo factum est. » Ex eadem.

Eadem in redivivo asserta.

Anno 1424. VI. Idibus Septem. Festo Nativ. B. Virgo. Minoresse, quod est oppidum Barcinonensis agri, Franciscus Muletus, Baccalaureus Ecclesiæ ibidem Collegiæ Canonice, a quadam Francisco Planes, Diabolo sub hominis forma insigilante, ac Muleto calumniam affingente, ipso in templo principe pugione confossus, et interfectus est; sed vix per aliquot horas exanimis jacuit; cum denuo B. Virginis ope revocatus est ad vitam, ac multis audientibus, quorum testimonio publica auctoritate exceptæ sunt, distincta voce asseruit, se, dum viveret, tenuisse opinionem, B. Virginem fuisse cum macula conceptam, et pertinacius propugnasse, et propagasse. Hinc permittente Deo, violenta se morte sublatum sicarii manu, cui nulla offensiois causam dedisset; sequæ ad Dei tribunal, in-

que maximum salutis discrimen adductum fuisse ob eam pertinationem, quam non sine multorum scandalo præ se tulerat. Sed B. Virginis favore, quam alias singulariter colebat, ad vitam rediisse, brevi tamen intra novem videlicet horas denuo se moriturum, acetoque Sacerdote, qui ei olim a confessionibus erat, confessus, et absolutus est. Exiit omnes ad piam sententiam tenendam hortatus est. Jusculum a piis feminis oblatum respuit; paulo post iterum se moriturum: eo tantum sine vitam recepisse, ut publica, eaque præsentem confessione præterite contumacie scelus elueret, et inauditio hactenus testimonio piæ sententiæ veritatem confirmaret. Dicta a se hora obiit: corpus solemniter in sublimi tumulo collocatum est. Sicarius furca eadem luit: series miraculi in tabulis depicta. Hæc historia a contrariæ sententiæ assertoribus sæpe in dubium vocata, publica auctoritate stabilita est, idque anno Christi 1484. 1525. 1653. et passim exstat. Habet eam Tertes, lib. II. cap. IV. Tenas Episc. Tortosæ in Conc. de Concept. B. Virginis Sebastianus Abrea in r. II. tr. v. dis. VI. sect. IV. n. 36. Hist. Longobardica edita Argentinae. Serranus lib. II. de Conc. c. III. Vega in Theol. Mor. num. 392. Basilus Pontius. Ceterum hoc unum affirmo (ait P. Honoratus Faber, qui sub nomine Hugonis Siffilini latet) nullam hactenus, exceptis iis, quæ in sacris Codicibus continentur, historiam a me lectam fuisse, quæ majorem auctoritatem, et fidem præ se ferat. Dicitur Hugo Siffilinus in libello, seu opusculo exquisitè docto, quo inscribit: *Corolla Virginea*, in conclusione. Auctores cit.

Ordo S. Francisci miraculose defensus.

Anno 1376, quidam Prælati volebant Ordinem S. Francisci abolere, habito aliquo Episcoporum conciliabulo. Erant autem ea in Urbe in Ecclesiæ præcipuæ fenestris depictæ duæ imagines S. Pauli, et S. Francisci. Nocte æditus vixit sibi audire S. Paulum dicentem: « Quid agis, Franciscus? Cur tuam non defendis filiam? » Cui ille: « Quid faciam? Nihil habeo præter crucem: hæc ipsa patientie me admonet. » Tum S. Paulus hortatus, ne tantam ferret injuriam, ei gladium suum offert. Territus æditus, simul ac illuxit, accurrit in templum, certoque vidit, utramque imaginem insigna inter se commutasse, in

dextra S. Pauli crucem esse, et in manu S. Francisci gladium, tunc cruore stillantem. Interim increbuit rumor Episcopum illum, qui ejus consilii auctor fuit, reperit esse mortuum, præcisâ cervicæ. Tunc, et ipsum narravit, et imagines ostendit. Biblioth. paup. lit. C. de consil. malis.

Pudicitia præmiata.

Nobilis virgo viduæ matris filiæ, urgente necessitate ultima, monchatur a matre, ut ad cavendam famem et inopiam se prostituere: ait illa diem sibi unum de re delibaturum; interea præcisos sibi elegantissimos capillos matri vendendos tradit, qui venum expositi cum a nobili juvene conspicerentur, ac ille quaereret, num alienus puella essent, quæ monasterium esset ingressa: ubi intellexit rem omnem, virtute et misericordia commotus, jubet mulierem bono animo esse. Clam interim in puellæ mores, et vitam inquiri, et cum omnia huic facinori paria reperisset, eam indotatam summa patris voluntate uxorem duxit. Nicars. Erith. *Exempl.* 156.

Concionatoris dos præcipua.

Rogatus Joannes Avila a quadam probo Theologo, quodnam sibi documentum daret, quo se utiliter impenderet prædicationi, paucis respondit: « Vehementer Deum amare. » Vita p. 1. c. II. §. 1.

Providentia Dei in victu subministrando.

Fratri Guidoni Ordinis S. Francisci jam grandævo Deus lautiores cibos providit: dedit enim felem, quæ quotidie e sylva volucrum aliquam afferret Fr. Francisco montis Ilcini, ejus socio ut præpararet. Ipso vero die, quo vir sanctus obiit, ad ejus pedes felix exspiravit. Biblioth. paup. S. Bonav. lit. C. de Conversat.

Eadem in filio ad Catholicam fidem reducendo.

Fuit juvenis viginti quinque circiter annorum: qui primus cum matre et fratre

a piratis e Corsica insula abreptus Algerium primo, inde Constantinopolim ducitur. Matre, ac Fratre redemptis inter Mahometanos, infans rerum ignarus in Mahometis cultu adulescit. Grandior aggregatus piratis, cum quibus ad Iberium mare prædaturus navigans præda fit. Quatuor annis, et amplius in Hispaniæ portu captivus servivit. Quo tempore nulla ratione adduci ad Christianam fidem potuit, sed fugam ad suos, ut putabat, parabat. Demum precibus, et industria id egerat, ut redemptionis pretio iter pararet a Calpe mox enavigaturus, cum incidit in mulierem natu grandiosem. Ea ut hominem vidit, nescio quid ejus figure, quam filiolus olim ei impresserat, agnoscens, perculsa subsistit. Cumque hærens in obtutu, ejus esset, rogasset, illeque se Turcam Constantinopolitanam esse respondisset, contra mulier plusque faciem filii noscitant, ac deprehendens, speque repentina, ac materno sensu commota: « Non ita est, inquit, Christianus es, et filius meus. » Delirare visa est illi anus, sæpiusque affirmantem modo cum risu, modo cum stomacho abigit. At illa constanter Prætozem adit, rem aperit, se non dubitare, hunc esse filium suum. Ita olim na captos, ita se redemptam, ita eo loci venisse. Consentire in juvene lineamenta, et oris figuram consentire, et ætatem; si hæc haud satis argumento essent, nudarent, incerta parte corporis geminos repertum iri nævos. Prætor haud negligendum judicium ratus, spoliari juvenem jubet; et ecce nævi, quos mulier dixerat palam cernuntur ab omnibus. Illic gratulatio et plausus, tamquam in exitu comico. Juvenis stupens hæsit. Tandem matre alia super alia signa congerente, cum ipse quoque haud se pro filio habitum unquam recordaretur, nec parentes nominare posset, tandem se Christo adjudicavit, et matri. Dein frequenti confessione peccatorum, et cætera pietate, miraque divini panis fame nostris adesse cœpit. *Histor. Societ. p. 2. l. 5.*

Litteræ Christi urbem defendunt.

Quamdiu Edessæ in Syriæ littoræ Christi ad Abagarum Regem missæ, servatæ sunt, tamdiu urbs illa ab hoste occupari non potuit, ut refert Damasc. l. iv. nec in ea habitare Tyrannus, aut Hæreticus, aut Paganus potuit; quod si exercitus eam cingeret, infans supra portam cas legendo statim vel hostem profligabat, vel ad pacem petendam eo ipso die

cogebat. *JOAN. BAPTIST. SIGNIUS C. XXXIV. de Reliq.*

Singularis gratia Reliquias eruendi.

Franciscus Hortulanus S. J. Coadjutor in Sardinia habuit singularem concessum sibi gratiam detegendi defossas SS. Reliquias. Ante mortem ducenta SS. Corpora delexit, ac indicavit. Post mortem, digestus repertus est index plurium veterum temporum, quæ ubinam exstarent ipse nunquam audierat, et SS. Reliquias, quæ ubinam locorum exstarent singulis in templis indicavit. *JOAN. FER. DISQUIS. Reliqu. l. ii. p. 1. c. n. ar. 2.*

Justitia judiciorum Dei illustri exemplo comprobata.

Dominus quidam per sylvam equo vectus crumenam in via amisit. Ubi ad flumen ventum, herus pecuniam et sacculum desiderat; querit ex servo, num ipse reperit: negantem iratus stricto ferro petit, ac pede truncat; ita relicto servo herus viam relegit, argenteo quaerendo. Ad ejulantem vocem exciuit Anachoreta, hominem repertit male multatum. Solatur, ac dolorem lenit, ut potest, Et ratus morti proximum monet, ut confiteri ac ignoscere hero velit. Paratum ad omnia in cellam suam portat, ac magna cura ei invigilat. Subinde miratus, innocentem ita a Deo affligi tolerari, ab Angelo monetur, non sinistre de justis Dei judiciis judicare. Hanc pœnam eum promeruisse, quod hoc ipso jam olim pede juvenis suam matrem una vectus ex curru indignis modis deturbarit, neque unquam, ut par erat, doluisset. Herum amissa pecunia male fuisse usurum. Qui vero sacculum reperit, fuisse tennis fortune hominem, sed integræ vitæ ac numerosæ familie, quod argentum repertum mox ad Carionem suum attulerit pro concione proclamandum. Parochus autem divinitus edoctus de reperiitoris inopia, cum nemo reperiret, partem unam repertori dedit; reliquam in reliquias egenos distribuit. *Hexæcis in Diotta ex.*

Cor ubi figendum.

B. Arsenius, ut ex vitis Patrum, cum moreretur rogatus a Fratribus, pro valedictione, ut pio eos documento muniret, dixit: « Ibi, ubi; » quo dicto emisit spiritum. Inde

de verborum illorum sensu solliciti Fratres, senem quemdam per litteras consulere, qui rescripsit eis: « Hæc est, ut puto, verborum intelligentia: ibi nostra fixa sint corda; ubi vera sunt gaudia. » *Idiota in oculo myst. c. xiii. n. 45.*

Catholicorum fervor.

In Gallia ad decem millia Catholicorum contra Hugonotas ivere, qui zelo divino instructi prædia ampla, uxores, et liberos reliquerunt: Christoque se devoteutes, propriis militarium stipendiis, solo victu contenti, de reliquo nudi nudum Christum secuti, cum hæc inscriptione: *Eamus et nos, ut moriamur cum Christo. In furor. Gallic.*

Catena Christi servis Dei suadenda.

Juvenis quidam, Martius nomine, cum in montem Marsicum solitariae vitæ amore abisset, pedem ibi catenæ ferreæ innexuit, hæc vero ad rupem affixit, ne longius posset vagari, quam catenæ longitudo permitteret. Ad eum explorandum misit S. Benedictus unum ex suis, qui diceret illi: « Si servus Dei es, non te teneat catena ferrea, sed catena Christi. » His auditis illico Martius catenam solvit; solutus tamen longius non processit quam ante se catena extenderat. *LYREUS de Imit. Chr. 1. n. c. vi.*

Flagellatio cæli musica.

B. Mechthildis, dum oraret, concentum audivit musicum, e flagrorum ictibus resonantem, quo Moniales exprimebant, ad cælos usque pertingentem: unde letari Angeli, fugere Dæmones, animo in purgatorio mire visæ sunt recreari. *Idem l. iii. c. iv.*

Angeli justa funebria persolvunt supplicio affectus

B. Jacobus de la Marcha, dum servus carnificinam inter orandum oculos reflecte-

ret, admirabili viso Deus illi oculos aperuit. Prospicietbat isthuc pro fenestram cubioli sui Jacobus, et ecce Angelorum cohors præfulgida luce micabat, auditaque vox; ideo advenisse quia plurimi ex eis qui plectuntur, inibi cœlesti gloria potiebantur; quibus cum justa funebria pro more hominum non fuisset persoluta, voluisse Deum, ut ab Angelis persolverentur. *Idem l. vii. c. i. doc. 6.*

Eleemosyna singularis.

Quidam cum rogatus amore Dei omnia egenis dedisset, nec potentibus quidquam posset largiri, project se in illorum manus dicens: « Cum jam nihil dandum remanserit, sumite me ipsum exemplo Christi, qui cum omnia nobis donaverit, tandem in cruce diductis brachiis pro nobis semetipsum obtulit. » *S. BERN. Sent. t. 4. S. 7, ar. 2. c. ii.*

Præco Hæreticus Sacerdotum irridens obmutuit.

Palatinus Miezslaviensis Polonus, Podolia Sacerdotem simplicem et indoctum ad prandium invitavit, ut a Prædicante ludibrii haberetur, (erat enim Hæreticus ille Palatinus.) Is, cum Sacerdotem variis questionibus urgeret, ac multa contra caput et mores Ecclesiæ diceret, ille ad omnia tacuit, et ad Palatinum conversus: « Ad prandium, inquit, sum invitatus, non ad disputandum. » Ea res risui præsentibus fuit. Addit Sacerdos. « Cum pransus fuero, tum forte illi respondebo. » Sublatis mensis, Sacerdos ita loquitur: « Hodie sacrum faciens, ita sum precat: Discerne causam meam de gente non sancta. Spero me audium. » Facto dein signo crucis, Prædicantem ita alloquitur: « In nomine Patris, et Filii et Spiritus S. per Dei, cujus ego indignus servus, et Sacerdos sum, auctoritatem, et potestatem, mando tibi, maligne Spiritus, ut obmutescas, nec per os illius hominis loquaris. » Vix hæc dixit, cum Præco obmutuit. Sacerdos jubet illum loqui se responsurum; se ante noluisse cum Dæmone, qui per ipsum loquebatur, disputare. At ille verbore loqui nequivit, et demisso capite, pudore perlusus, inde se proripuit. Ea res effect, ut Palatinus ille Catholicus cum tota familia fieret. *ENGELER. in fest. S. CATHARINÆ p. 2. § 1.*

Juvenis seducti infelix exitus.

In urbe quadam Belgii celeberrima, quidam e nostris mane fuit evocatus ad carcerem, ut adolescenti viginti quatuor annos nato capitis reo et condemnato, adesset. Adest Pater; at reus attonitus post multa lamenta et suspiria aperit se eidem, et ait, se ipsius olim discipulum fuisse. Agnovit Pater discipulum, et ingemuit, filium unicum florentissimam et locupletissimam familie 45,000 florenorum quotannis heredem, olim a probitate, ingenio, et moribus tam commendatum, nunc prava societate corruptum, a se ad mortem animandum tam infamem. Reus rite expiatus et animatus est, prius a Patre probe edoctus, et in omnibus religiosis domiciliis precibus commendatus. Peracta confessione noluit reus quis et quorum esset filius, Magistratui aperire, aut de sua liberatione agi. Interea carnifex ingreditur, de more veniam a reo poscit; eo viso, reus exclamat et inter Sacerdotis brachia corruit, dein fomentis restauratur; et carnificem rogat, num se nosset, et Patrem, num nosset carnificem? Negat uterque, alterutrum se nosse. Tum reus: «Pater, ait, et hic tuus olim discipulus, meus autem condiscipulus, fuit;» agnovit reum carnifex, et suam simul ac illius miseriam. Fuit is quidem inferioris altero conditionis, ut tamen census annuus duodecim millium florenorum numerare potuisset, ingenio æque ac alter prompto. Fasset est, se B. Virginis a teneris amantem, ubi ad pravo socios deflexit, tandem in vincula conjectum. Sed cum licet desideraretur, ut vitam servaret, ait, se ad id munus obtulisse. Dolere nunc, se munus debere in charissimo capite exercere. Dua ultra consuetum horæ effluxerant, et ideo Magistratus indignatus, jubet negotium accelerari. Reus carnificem amplexus, rogat hoc sibi et supremum officium præsartur, ut scelerum reus penas det. Tandem eductus suspenditur: quo pendente Confessarius tandem palam rem omnem detegit. Ibidem.

Quidam per librum conglutinatum elusus.

Cum S. Ephrem intellexisset, feminam quamdam Apollinaris, cui esse in deliciis di-

cebatur, libros habere sibi in custodiam traditos; ipse sanctus vir feminam adit, ac aperit, cujusnam sit; scripta illa petit, simulans se ejusdem opinionis esse, cupereque se inde ea discere, quibus adversariis obsistat. Mulier credula libros ei tradit, simulque celeriter sibi reddi postulat. At S. Ephrem piscis glutino (nos dicemus *mit einer heusembleter*) folium folio ita conglutinavit, ut cum una pars ab altera præ vehementi vinculo sejungi non posset, in unicam tabulam singuli libri redacti viderentur, atque ita mulieri restituit: quæ imperita cum speciem eorum externam salvam aspiceret, quid intus esset, intueri neglexit. Post paucos dies accusatur apud Orthodoxos divus senex, quod Apollinarem accivisset, et cum illo sermones contulisset. Itaque in iudicium vocatus impiis illis fretus libris ad statutum diem venit, ac dicere quidem pro se, jam senio confectus recusavit, petiitque, ut ipsi libri proferrentur, ut ex illis respondere posset, et contradicere. Cum igitur delatores socii frementes in medium libros attulissent, inveteratus ille dieum malorum iniustitie iudex unum ex illis in manus sumens, explicare conabatur, sed cum glutino vinctus non cederet, ad mediam ejus partem aperiendam aggressus est, quam tamen eodem modo conglutinatam reperit; quare ad alterum librum accessit, quem totum adeo connexum reperiens, ut aperiri non posset, tanto rubore perfusus est, ac ita perturbatus, ut ex illo consensu discedens, consilii inopia hærens, et exanimatus, in morbum incidit. S. GREG. NYSSÆ. *in vita S. Ephr.*

Insolitum mortis pro Christo obeunda desiderium.

Nicolaus Trigantius S. J. ex India redux narravit, e pulpito, privatim, quod sequitur. Indus adolescens, Paulus dictus, viri nobilis servus, male fuit ab heros gentili ob fidem habitus. Gestabat is longo pro more gentis capillos; quos aliquando herus impotens stringens gladium ejus jugulo intentat. «Cum juvenis absit, inquit, ut tam subita morte pro Christo defungar; jube me vicatim et oppidatim per totum regnum raptum, minutim, et per otium concidi: ab extremis membris, et articulis factio initio.» Eo sermone herus emollitus invito pepercit, et posthac indulsit, libere Christianum esse. LOBLIUS in via vite l. iii. c. v. §. 40.

Mors mirabiliter prænuntiata.

Vir nobilis in Alsatia P. Georgio Stengelio familiaris hæc habet, in grabbato meridiano solebat dives, et qui uno intuitu novem vicos suos ex arce poterat videre, in pauperes et Religiosos beneficus. Is cum aliquando pro more a meridie quietem capere vellet, jussit in mensa crystallinum calicem rubro vino plenum locari, quo postea somnum dilueret, quod erat illi quotidianum. Decubuit igitur valens ac sanus, cum cepit illi cogitatio de æternitate illabi, videtque vitrum sua sponte velut ictum cum fragore dissilire. Deterritus tintinnabulo, ut solebat, signum dedit. Famuli audita re, herum solari, et vitri hoc vitium fuisse dicentes, aliud afferunt multa cogitanti, ac pro omine mortis habenti. Post dimidium horæ etiam istud frangitur, vocat famulos et uxorem, jubet e nostris Sacerdotem Brun truto vocari. Interea et tertium vitrum alatum rumpitur. At uxor rata, inanem esse metum, omittit Confessarium postulare. Maritus iterum urget eum sibi advocari, sed nihil efficit. Inde sub occasum diei cepit pallere, ac in momenta deficere. Tunc igitur uxor citatis equis Confessarium evocat. At servi in media et parva sylvâ tota nocte errabundi vagantur, dum media interim nocte herus moritur. Confessarius mane tandem adductus mortuum reperit. GEORG. STEN- GEL. *in ovis pacis. Emblem. 74.*

Origenis lapsus ab amore castitatis.

Nicophorus narrat, cum idololatræ Alexandria Originem cogenter, vel thus idolo offerre, aut per scortum libidini exponendum, ut castitatem servaret, fidem perdidit, ac thus idolo adolevit. Christianis inde exosus, odio et ludibrio habitus abiit in Palestinam, ut ibi mortem anime suæ plangeret. At ut venit Jerusalem, tota urbs et maxime Clerus, ob viri famam, obviam processere, et obnixè rogarunt, ut e suggestu paucâ ad populum diceret; non permissuros se talem oratorem elingnem abire. Ascendit cathedram, tota Jerusalem confluenta. Promittit Biblia, aperit, sive consilio, sive casu in illud Psal. xlix. Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras, etc. Ad hæc subito obmutuit, et clauso codice, nihil præter suspiria, et la-

crymas fundebat. Unde et auditores attoniti, eo silentio et fletu in lacrymas solvebant. Expectabant interim, dum digesto dolore loqui inciperet. Sed cum e lacrymis in singultus prorueret, finem non dicendi, sed flendi fecit. NICEN. l. II. hæres. 64.

Veritas odium parit.

Castroverdo Augustinus, equo ad valvas templi expedito, cathedram creatur conscendit, et provido id egit; ubi enim veritatem viro potenti enuntiavit, illico in exilium missus est. Idem indicavit, Monachus quidam desiderio martyrii in Duriciam profectus, intrepide aulam Soldani ingressus est, rogatus, ad quid venisset, respondit: «Ut mortem inveniam, veritatem tibi prædicando.» Cui Soldanus: «Ita ad Principes tuos, prædica illis veritatem; et mortem cito invenies quam apud me queris.» EUGELG. *Dom. Pass. §. 2.*

Somnus pie susceptus.

Serenissimus Leopoldus Archidux Austriae nocte quavis, et in gravissimis negotiis nunquam tam sero cubitum ivit, quin prius precibus consuetis, et examini conscientie vacaret. Quoties vero vesperi decumbebat, assimilatione pia adumbratam extremam unionem adhibebat sibi cum aqua benedicta (ut olim fecit Pater Wolfgangus Gravenegg) et dicebat: «Per istam sanctam unionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat mihi Deus, quidquid in anima per cordis affectum et passiones internas commisi; et quidquid in corpore pensens externis contra rationem, et virtutem deliqui.» Quibus subdebat commendationes anime. «Proficiscere, anima mea Christiana, de hoc mundo in Nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creavit; in Nomine Jesu Christi Filii Dei vivi, qui pro te passus est; in Nomine Spiritus Sancti, qui in te effusus est; in nomine omnium Sanctorum, et Sanctarum Dei, Anima mea! Sit in pace locus tuus, et habitatio tua sancta Sion.» Vit. p. 4. c. ii.

Hypocresis detecta.

Discipulus de Mouali scribit, quæ Confes-

sario suo ream se multorum scelerum assererat, ob qua, et ipsa, et alia a Deo plecterentur. Confessarius ratus, latere hypocrisin, respondit: « Sane credo, quod ais, nam hoc idem ab aliis audiivi de te dici. » Tum illa exardescens: « Mentiris, inquit, ut et hic, qui tibi hec dixit, » Discip. s. 100.

Jactantia repressa.

Toparcha quidam dives, Gerardus a Kampis, amplas sibi aedes struxit magnificas, ad quas invitandas cum ad lautum convivium vicinam Nobilitatem invitasset, forte gloriabundus percontabatur ex convivis, an non putarent, se terrestrem aliquem Deum esse, ac unde quaque felicem, aliis assentantibus, unus sincerior: « Unum tibi, ait, foramen adhuc in domo tua obstruendum est, ut sis ex omni parte felix. » Roganti hero, quodnam illud foramen esset, respondit: « Ostium, per quod brevi ad cœmeterium affereris, et hanc domum alteri relinques. » Eo dicto percussus herus, sæculo spreto, ad religionem se contulit. ENGLER. *Serm. 2. Pasch.*

Ocultis pauperibus subveniendum.

P. Theodorus Van Minister Ordinis S. Francisci, qui Bruxellis triginta millibus pestiferorum extrema Sacramenta administravit, a viro nobili ad lautam mensam invitatus rogavit, ut vellet de tot ferculis unam alteramve lancem in pauperis tectum deferri curare. Annuit herus; at ille famulo lautam lancem tradidit, et mappam imposuit, jubetque servum recta ad forum pergere, et ei domi lancem inferri, ad cujus janam mappa a vento deferretur. Servus obsecutus, ubi ad magnifici edificii fores vidit mappam excidere, nihil inopie illic suspicatus, redit re infecta; jubetur a P. Theodoro redire, et facere, quod antefuit jussus, sed mappa eodem loco excussa est. Adit igitur, et intra aedes admittitur, et numerosam prolem reperit tunc siliquis porcorum comedentem. Idem in *festo S. NICOLAI* §. 1.

Misericordiam illustre specimen.

Salmantice fuit mercator prædives, qui

alea omnia perdidit, simul et Dei timorem, et amorem: hinc Deum summo odio persecutus, omnia scelera excogitavit, et fecit: et ne quod præteriret, Navarri Casuum summam legit. In eo ubi venit ad Tractatum de Confessione, et penitentia, gavisus nova peccandi occasione, et sacrilege confitendi, statuit id agere, et ipsa agit. Sed Confessarius suspicatus e confitendi modo, hominem angit, et pudorem subesse, multa de Dei misericordia dixit, hortatus ad ingenuam confessionem. Tunc miser intus commotus, inter lacrymas, et suspiria Sacerdotem rogat, an tantis peccatis sit venia locus? Quod ubi abunde intellexit, omnem vitam illi exposuit, et animum ad religionem adiecit, totus jam alius; in ea triennio vixit, ac viribus deficiens, Crucifixum amplexus peroravit: « O quam pudet me vitæ præteritæ! Sed talis debebat esse Dominus, qui tantum peccatorem in gratiam reciperet. » Ita pie obiit. Idem *Dom. 2. post Pasch.*

Aliud ejusdem.

Pater quidam filiam propriam adamavit, et corrupit; mater suspicata scelus (Agalma dicta, lecta pietatis Matriona), filiam scelestam despexit. Filia indignata matrem venenum tollit. Pater domum reversus id in filiam quidem minus castigavit, verbis tamen eam gravius, quam putabat, perstrinxit. Ipsa etiam se patri jam odiosam rata, nocte patrem sleritentem securi obruncat. Fugit inde, ablata præcipua suppellectili, ac se Dæmoni devotum, in omne scelus projecta. Forte in templo concionatorem audit, misericordiam Dei laudantem: inde commota, post concionem Ecclesiasticum adit, dicti veritatem exquiri, confititur; penitentia loco jubetur denuo die proximo concioni adesse; ubi tanto cepit dolore de peccatis suis obrui, ut illico sit mortua. *Ibid.* §. 1.

Vindicta laudabilis.

Godefridus ab Aschauen Episcopus Herbiopolensis cum aliquando tempestas, et grando omnes pene in agro fruges perdidisset, dixit, se ultimum in Deo hanc jacturam, ac se plures modios frumenti, quam aliis annis, in pauperes erogaturum. Et paulo post factus est

Imperii Princeps. *FAB. SPEC. l. III. c. xxx. n. 27.*

Vocatio mirabilis.

Quidam salutis studio solitarie vivens, ab aliis fuit laute habitus submissis cibis; ibi vocem audit. « Ave, paste porce. » Advertens igitur ea voce suum otium et commoda reprehendi, peregre ivit. Iterum autem audiit: « Salve, pecus errans. » Anxius igitur, quid faceret, cum nec solum nec peregrinum Deus cum velit esse, statuit se obedientie subdere. Cum igitur in eremo ad Abbatem iret, is ei dixit: « Salve, fili obedientie, implens voluntatem Dei. » Discip. in *Prompt. lit. O ex. 3.*

Fidei Catholicae æstimatio.

Audivit Leopoldus aliquando ab Augustissimo Patre Ferdinando II dici, suis se regnis renuntiaturum potius, quam ullam amplificandæ fidei occasionem neglecturum, malle cum conjuge se ac liberis solo Scipione instructum ire in exilium, ac solo pane et aqua vitam trahere: malle se in frusta concidi, quam injuriam Deo, et Ecclesie illatam tolerare: orare se demum Deum, ut si morte sua Catholicam religionem promovere possit, toto mundo spectante ab infami carnifice capite plectatur. *NICOL. AVANT. vit. p. 3. c. ii.*

Vocationis neglecta pana.

P. Nicolaus Lancizius Romæ in convictu Romani seminarii anno 1602 juveni presantanti octodecim annorum exercitia tradit, quæ magna pietate obiit. Confessus generaliter ante absolutionem petiit, an peccatum esset, non exsequi divinam vocationem. Pater ei respondit, cum sit consilium, non præceptum, posse sine peccato negligi; sed multos damnari, non ob eam neglectam, sed ob peccata mortalia, in quibus Deus tales in sæculo morituros præviderat. Ita huic juveni contigit. Profectus enim ad Academiam Maceratensem, ubi juri operam dedit, fœminæ amore captus a rivali jussus ab ea abstinere, cum redit noctu, lucente luna, ab eo pugione confoditur. Confessus Confessarium inelamavit.

sed antequam adesset, moritur. *ENGLER. Dom. 4. post Pasch. §. 5.*

Dei summus osor ope B. Virginis conversus.

Fuit in Hispania homo scelerate vitæ, et flagrabat vehementi in Deum odio, certus nunquam confiteri; vitavit omnes conciones, et privatas ammonitiones. Aliquando noctu vigilanti adest B. Virgo, et benigne eum intuita, eum ita eo aspectu emollit, ut lacrymans fœditatem suorum peccatorum agnosceret. Unde æger summo mane ad se vocat e Societatis Collegio Sacerdotem. Mittitur P. Jo. Eusebius Nierembergius (qui hæc ipsa scribit in vita S. P. N. c. xxxii.) qui omnia vitæ acta detegit exactissime per tres horas. Tam serice, subitæque mutationis causam rogat P. Eusebius; qui alter ait: quod audisset, ad salutem conducere, B. Virginem salutare Angelica salutatione, se illa usum esse. Voxit dein, si convalesceret, religiosum se fore. Urget tamen Pater, ut a Deo felicem sibi a vita transiitum impetraret: quod ultimum indulisit Deus, et ita pie mortuus est. Idem in *fest. Assumpt. §. 4.*

Dignitas in panam data.

Cum Phocas Imperator horribili strage sæviret, quidam servus Dei humiliter cum Christo exposulabat: Domine, cur fecisti cum Imperatore? Cui responsum a Deo delapsa voce: « Quia non inveni pejoerem. » *ANASTAS. NICÆNUS in quæst. S. Scripti. quæst. 13.*

Veri servi Christi qui?

Anno 1464, B. Margaritæ celsissimæ nobilissimæque stirpis fœminæ, cum ab aliis nulla pateretur, B. Virgo dixit: « Ille solus meus et filii mei servus est, qui semper paratus est tantum pati, quantum homo moribundus. » Christus vero dans ei tria specula in manibus addidit: « Elige unum horum. » In primo autem scriptum erat auferis litres: « Merae injuriæ. » In secundo: « Merae infirmitates. » In tertio: « Mera verbera ab hostibus. » Cui illa a B. Virgine animata: « O Domine, inquit, si vis, concede omnia. » Tum Christus: « Accipe, et habebis vires, ut for-

liter pugnes. » F. GASP. TAUSCH. in Matre dolor. l. III. praxi 4. §. 3.

Taurus in honore S. Marci cicratus.

In pluribus Lusitanie locis, Feste S. Marci Parochus loci cum multis suorum in sylvam tauris ferocibus plenam, aspergensque unum de ferocissimis aqua lustrali, Marcum appellat, qui mox sequitur inclamantem feritate omni posita, cœti catellus, aut agnus. Ingreditur igitur templum per confertam plebem, assistitque ante principem aram rei diviniæ et concionis, nunc erectus in pedes, nunc humi procumbens, tanta mansuetudine, ut licet a pueris lacessitus, et varie evulsis etiam pilis vexatus, ne se moveat quidem, totus blandus. Sacris peractis, eadem mansuetudine supplicabundus per Ecclesiam populum sequitur, donec a curione dimissus sylvæ et feritatis pristinae restituitur. Ex litteris inde 1673. missis.

Error de predestinatione ingeniose detectus.

Ludovicus Landgravius, ut habet Cæsarius l. 4. hist. c. xxvii, propter deploratam vite licentiam a viris religiosis non semel correptus, ut respiceret, illud semper retorsit: « Si predestinatus sum, nulla peccata poterunt mihi regnum cœlorum auferre; si reprobus, nulla bona opera conferre. » Subinde in lethalem morbum incidit, vocatur medicus, qui, ut erat vir prudens, et gnarus quid Ludovicus dixisset, ait ei, frustra se advocatum. « Si enim venit dies mortis tuæ, inquit, non poterit te cura mea eripere; si vero moriturus non es, superflua erit medicina. » Ad hæc æger: « Quomodo sic respondes? » Tunc medicus ei mentis errorem detexit, et responsum ad medicinam antea transtulit. Unde æger convictus: « De cætero, ait, esto medicus animæ meæ, quia per linguam tuam medicinalem Deus me liberavit a maximo errore. » Idem Dom. 49. post Pent.

Conversio admiranda.

Juvenis incesto cum sorore commisit, monentem idecirco fratrem occidit: tum et

patrem, qui eum exheredatum, et urbe pulsam in vita servavit, clam regressus in urbem peremit. Sed ubi pro concione audivit illud Ezech. xviii: In quacunque hora; etc. confessus est magno cum dolore. Sacerdos eum jussit accedere ad altare, in quo fuit imago B. Virginis habens Christum mortuum in sinu suo, ubi Beatam Virginem enixe rogavit, ut sibi veniam a Christo impetraret. Inter has tam calentes preces cor ei ruptum est, et mortuus jacuit ante altare. Sacerdos superveniens ratus eum vivere, et quiescere, dum surgere jubet, mortuum reperit. Sequenti die jussit populum pro eo orare. Tum columba candida circumvolans in conspectu populi, schedulam, quam rostro tenuit, ante Sacerdotem projecit, in qua scriptum fuit, animam hujus fuisse in cœlum deductam, antequam calor naturalis a corpore ejus recessisset. Eadem schedula Sacerdos jussus est infinitam Dei misericordiam commendare, siquidem sincere confiteantur. Disc. lit. M. ex. 21.

Beneficiorum pluralitas causa damnationis.

Anno 1298, Episcopus Parisiensis cum omnibus ibidem Professoribus Theologiæ in aula capituli Dominicanorum collectis ventilavit questionem illam: an liceret plura beneficia possidere. Decisum fuit, non licere duo beneficia tenere, si unum annuus quindecim libras Parisiensis monetæ ferret. Tribus annis ante eadem questio fuit agitata ibidem, omnibus idem asserentibus, præter duos, quorum unus fuit Philippus Cancellarius Universitatis Parisiensis, et Arnoldus, postea copus Ambianensis. Cancellarius tandem æger lethaliter, monetur a Guilielmo Episcopo, ut opinionem suam desereret, et unum de duobus beneficiis suis deponeret. Re-nuenti promisit, de suo tantumdem ei daturum, quantum valeret alterum beneficium; sed nihil effecit. Cancellarius enim ait, experiri se velle, utrum plurius beneficiorum possessio possit esse causa damnationis. Ita moritur. Post paucos inde dies dicto matutino videt juxta se nigram umbram et velut hominis. Episcopus nihil territus, crucis signum eformat, ac rogat, num sit in statu salutis? « Ego, ait umbra, sum inimicus Dei, et ejus infelix creatura. » Jussa clarius eloqui, pergit: « Ego sum anima Philippii Cancellarii.

Rogante Episcopo, unde esset tam miser, in quo statu esset, respondit, se æternum damnatum, et subjunxit tres causas. Primo, quod ob avaritiam parum admodum de re-ditibus beneficiorum erogasset in pauperes. Secundo, ob pertinaciam in defendenda contra tot Doctores pluralitate beneficiorum. Tertio, ob lubricitatem, et lasciviam, cui diu fuit subjectus cum consociorum magno scandalo. Tum damnatus querit ex Episcopo, an jam adisset finis mundi? Cum autem Episcopus miraretur, utpote Doctorem hæc rogare: annon videret se vivere; omnes autem homines ante finem mundi mori debere: « Noli mirari, ait umbra, hanc questionem, quia nec scientia, nec opus, nec ratio est apud inferos. » His dictis evanuit. Episcopus autem Clero suo rem omnem exposuit. STEPHAN. Monach. p. 4. cont. 2. c. xxi.

Aliud simile.

Æger Sacerdos Thomam Cantipratanum (qui fuit Episcopus Camberiensis, discipulus S. Alberti Magni, et discipulus S. Thomæ) ad se in supremo morbo vocavit, ut morientis esse vellet solatio, et auxilio. Thomas hortatur, ut unum e suis beneficiis rejiceret, scire eum, utpote hominem doctum, id doctorum virorum sententia nefas esse. Idem rogat cum lacrymis presens ejus consobrinus: sed frustra; moriens, cum vocem perdidisset, signum dedit, nolle se beneficium resignare. Moritur, damnatus ob hanc, ut ipse eundem Religioso ex Ordine S. Domini aperuit, causam unicam. PAUL. BARRI de morte Pauli et Alexandri c. ii. ep. 5.

Vana spes in hominibus.

In Belgia nuper vir insignis moribundus imploravit auxilium uxoris: at illa negante, id esse in sua potestate, filium rogat primogenitum qui cum et ipse gemens diceret, se dolere, quod juvare patrem non posset; vocat secundum, tertium, et cæteros ordine filios, et filias, deinde famulos, et ancillas, quemquam singulatum compellans: cum vero omnes dicerent dolentes, se opem ferre illi non posse, ingenuit, et dixit. « O vanas hominum curas! Tantum tibi, uxor, vobis filii, filie, sudavi, et nunc a vobis deserit!

Tomus V.

o quanto satius Deo servissem, etc. » EUGLG. de Assump. B. V. §. 4.

Merces mundi vana præ Christo.

Luca civitate Italiae agryta quidam et lyram pulsans stipem emendicabat, extrusus undique, et illum moestus in templum secessit, et ante argentem Christi imaginem consistens questus eidem est, se totum diem ingrato mundo gratis lussisse: ejus igitur honori nunc se lusurum, et simul lyra ludit. Et ecce imago argentem crepidam, quam habuit in pedibus, in sinum excussit. EUGLG. in comment. fidel. §. 4.

Rara conversio puellæ Damoni desponsata.

Puella, insignis, ac prædixit, ut credebatur, juvenis amore mutuo capta, cum eo matrimonium inivit; sed postquam ab ara, ubi rite erant conjuncti, discessum est, in cubili reperit, se Dæmonem habere pro marito, qui eam mox jussit re omnino sacra, et amuleto abstinere, ardente vultu, protensis unguibus interritum ei minatus. Dein per speciem pietatis simulate jubet eam sacram Communionem sumere, sed non absumere, et domum secum ad injurias posteriores ferre. Ante omnia vetiit, ne Petro de Alcantara se in conspectum daret, ut loqueretur. Moris est in Hispania, ut Patribus Franciscanis obvii eorum vel manicas, vel funis, quo cinguntur, extremum osculerentur. Et ut solenne est, feminis præsertim, niti in vetitum, illa curiositate tacta Petrum videndi, cum duabus feminis ad Monasterium ambulat. Obvio Petro due reverentiam exhibent, at Diaboli uxor aufugit. Unde Petrus divinitus edoctus eam humaniter nomine compellat, et ad se evocat: habere se pauca, que illi dicat. Accedit ergo, fugam honoris colore excusans. S. Petrus denuo eam humaniter salutatum, jubet secum considere seorsim, et salutaria cum illa loquitur. Interea in obverso angulo ipse spectrum stygium videt, quod mariti specie, feminæ minatur exitium, si Petro verbum respondeat. Quia igitur vir sanctus humanitate sua nil apud eam effecit, ultro ei, scelus et totam rei seriem exponit, et occasionem, qua fuerat seducta; ingentia

flagitia, quæ cum Demone patravit, et omnes ejus pravas cupiditates, consuetudines, et cogitationes. Ita commota et fulmine icta, ingemit, dolet, veniam petit, humi precumbit petens peccatis, et stygio marito liberari. Igitur S. Petrus pro potestate Daemonem alloquitur, jubet eum a femina recta in orbem descendere, ubi ad diem iudicii usque alligatus permaneat. Et illico Dæmon evanuit. At illa jam libera, tota se S. Petro permisit, et confessa priora scelera, pie vixit, ac paucos annos sancte obiit. Quæ res dein vulgata multis ad penitentiam adduxit. In vita S. Petri de Alcantar.

Imagines SS. Dominici, et Francisci ante ipsos pictæ.

Centum, et amplius annis in templo S. Sophie Constantinopoli visebantur duæ affixæ imagines: una S. Pauli cum hæc epigraphæ: ἄγιος Παῦλος, Sanctus Paulus: altera S. Dominicus, καλὸς Δεσμώτης, Bonus Dominicus, et ne alium crederes, vestem gerebat, qualem dein S. Dominicus, et Ordo universus. Venetiis autem Joachim Abbas, qui septuaginta annis vivere ante desuit, quam vivere inciperet Dominicus, in aede S. Marci duas tabulas appendit, quarum una referebat S. Franciscum grisea veste, fuscæ præcinctum, pedibus nudum, cicatricibus in manibus pedibusque, imo, et lateris vulnere: una manu erucem gestabat, altera librum. S. Dominicus autem in veste, qualem hodie Dominicani gerunt, una manu librum habebat, altera gestum concionantis præ se ferat sub hoc, et ille legebatur hæc Epigraphæ: Sanctus, Sanctus. Prælusit iisdem Abbas vaticinio S. Zachariæ Prophetæ c. ii: Et assumpsit mihi duas virgas, unam vocavi Decorem, alteram Funiculum: et pavi gregem. Sancti Dominici virgam vocavit Decorem, ab habitu, et puritate, ac candore virgineo, qui S. Dominico, et Ordini datus est, et habet liliam pro insignibus. S. Francisci vocavit Funiculum, quo scilicet præcinctus erat, in signum penitentiae, et vitæ austerioris. Et hæc et illa virga Christus olim pavit gregem. Pavit etiam S. Dominicus, et S. Franciscus. De virga funiculi S. Francisci dictum est Isa. iii: Erit pro zona funiculum. Jacob. Lorner. de S. Dominico. §. 5.

Mirum de S. Dominico præsigium.

Cum die festo S. Dominicum mater adduxisset ad audiendam Missam, Sacerdos, qui tunc faciebat Sacrum, cum ad populum conversus pro more dicere vellet: Dominus vobiscum: ad puerum dixit: « Ecce reformator Ecclesie! » Mox cognito errore ut putabat, denuo conversus dixit: « Ecce reformator Ecclesie! » cum dicere vellet, Dominus vobiscum. Ubi autem Sacerdos ad librum rediit, recurrente iterum, ut credebatur, errore suo, ad medium Altaris jam tertio regrediens, enititur tandem dicere: Dominus vobiscum. Sed et tertio protulit illud, oculo, et voce ad puerum conversus: « Ecce reformator Ecclesie. » Matri dein sollicitæ, quid sibi id vellet, Episcopus rogatus dixit: « Quot essent verba Sacerdotis tot esse de puero oracula. » Ibid. §. 5.

Examinis pro Episcopatu subeundo metus examinatio.

Cum Romæ quidam coram Clemente VIII pro Episcopatu Genevensi esset examinandus, adierat et Hispanus, vir doctus, eadem de causa examen subiturus, qui ubi vidit præter Pontificem, tot Cardinalium, Episcoporum, Generalium, Ordinum, ac Doctorum consessum, ita extimuit, ut deliquium passus debuisset ferri: solari eum jussit Pontifex, expeditas jam esse litteras Episcopatus ei concessi, sed nunquam se collegit. Itaque in hospitio suo, quo erat inde deportatus, moritur, metu examinatus. In vita S. Franc. Sal. l. iv.

Judæi montibus mirabiliter coeuntibus conclusi.

Cum venisset Alexander M. ad montes Caspios, miserunt ad eum filii captivitatis decem tribum (ex edicto enim tenebantur, egredi non licere) postulantes egrediendi licentiam. Cumque quæsisset causam captivitatis, accepit, eos recessisse aperte a Deo Israel, vitulis aureis immolando, et per Prophetas Dei prædicatum esse, eos a captivitate non redituros. Tunc respondit, quod arctius eos includeret. Cumque angusta viarum obstrueret molibus bituminatis, videns laborem

humanum non sufficere, oravit Deum Israel, ut opus illud completeret. Et accesserunt ad se invicem prærupta montium, et factus est locus immeabilis: ex quo liquido apparet, non esse Dei voluntatem, ut exeant. Egredientur tamen circa finem mundi, magnam hominum stragem facturi. S. ASTOXIO. p. 4. tit. 4. c. ii. §. 40.

Miraculosa trium Fratrum et captivitate libertas.

Tres Fratres Ordinis Equestris S. Joannis ex Picardia oriundi, in Gibellino præsidio, pecus ablatum recuperaturi, insidiis occupati, capti sunt ductique Ascalonem, donati sunt Soldano Cairi Prefecto Ægypti, a quo jussi severe, post mortis minas, fidem Mahometi sequi negantes, in carcerem telrum mittuntur, aqua et pane vivunt. Tentati ad sacrificia promissis, et argumentis, reprehensaque a Soldano nihil cedunt. Ille mittit filiam Ismeniam, ut eos alliciat ad Mahometem; parat illa, illi perstant, de sua constantia, de Christo, et B. Virgine multa ei dicunt, ab illa dubia suæ religionis; illi interea traduntur in deteriorem carcerem, filia pater claves tradit. Mane affert illa, ut fuit jussa, aquam et panem, excusat victus tenuitatem, iterum disputat de fide, maxime de B. Virgine imagine, jubet illos eam conformare; promittit invicem libertatem, et lautioiorem mensam, illi petunt instrumenta. Frater, qui ut alii duo, ignarus artis sculptoriae, imaginem promissit, a duobus reprehenditur, ob levitatis puniendæ periculum, rogat Deum pro imagine, obdormiunt, per Angelos interim imago B. Virginis adest, cum luce, et grato odore et musica; veniente Ismenia manent immoti, donec ad se reversi imaginem ostendant, artificem imaginis detegunt. Illa Mahometem jurat, promittit baptismum se recepturam, donatur imagine, clam veneratur imaginem, patrem adit, fingit, illos paulatim flecti. Nocte sequenti apparet B. Virgo, baptismum, et suum ei Nomen spondet. Colligit sua, nocteque media ad carcerem sponte patente tendit, excitat. Ambulant securi per mediam urbem, portis urbis sponte aperti; aquam seu flumen obvium Angeli ope transmittunt. Cumque quatuor horas nocte progressi essent, illa fatigatur. Obdormiunt omnes; subinde ducentur in Picardiam: mane pastorem offendunt, a quo intelligunt, se in

patria esse, Turcicæ lingue ignaro pastore. Illa secuta, Frater imaginem ad arborem relinquit, redit, madidam a novo fonte reperit, promittunt templum imagini ad arborem: cum ob incommoda, duce pastore, locum mutant; domum rediturus imago in horto graviter fit, deponunt; colligunt ex hoc ibi locandam imaginem. Post preces fit levior; domi ipsi læti excipiuntur. Illa baptizatur ob Episcopo Laudanensi; diciturque *Maria*. Illius concessione pro hospitali sacellum erigunt; nocte vero imago ad hortum redit, idque his, ergo in horto templum edificatur. Illa sancto vixit cum trium Fratrum matre. Jac. BOSNUS l. 4. p. 4.

Plato Christianus.

Boetius ait, quod in tumba Platonis reperta est lamina aurea, in qua scriptum erat: « Credo in Filium Dei nasciturum de Virgine, passurum pro humano genere, et die tertia resurrecturum. » BOET. de dist. Schol.

Pueri septennis admiranda vita.

Frater Thomas de Brabantia scribit, ut sequitur. Erat in Flandria quinquennis puer, tanta prudentia præditus, ut, cum aliquot Religiosos e S. Francisci familia vidisset, a suis parentibus ferventer petierit, eo habitu vestiri, cui etiam vitam, et mores ita conformavit, ut nudipes incederet, pecuniam nunquam attrectaret, utebatur singulari modestia, servabat stata precandi tempora, sobrius, serius, prudens, senes et juvenes hortabatur ad virtutis studium: septennis demum moritur. Priusquam moreretur, confessus est, communionem tamen etsi petierit, non accepit: parentes tam subito decessu suo moestis consolatus. Eodem momento quo mortuus, ejus religiosa vestis disparuit, nunquam amplius visa. Cum efferretur, Religiosi dieti Ordinis incipiebant canere: *De profundis*; sed occulta vi impediabantur, ut peregre in illa lugubri oratione, et cantu non possent. Qui hæc scripsit, ipse hoc impedimentum præsens expertus est. Parentes exemplo filii incitati, sæculum deserunt; pater S. Dominici, mater Cisterciensium Ordinem ingreditur. SCELLENBLIFF. c. xix.

Martyrium scenicum.

Beatus Joannes a Cruce primus e viris, qui e Carmelitis reformationem S. Theresie secutus est, in omni vita erat martyrii avidus dictitans, id esse Ordinis sui, martyrium expectare; cuius sub reditum S. Eliæ multi sint futuri compotes. Sæpe exercitii causa cum cæteris suis Religiosis aliquod martyrii simulacrum representabat: ibi unus agebat personam tyranni, alter iudicis, alius accusatoris, alii carnificum, alii testium; et sæpe tam serio joco res agebatur, ut qui fuit accusatus Christianæ pietatis, quasi serio res ageretur, etiam sanguinem pugnis extusum profundere. Ipse autem plerumque martyr in personam affectabat, atque ita tyranno respondebat, velut ab eo reipsa captivus teneretur. PAUL. BARRY in cent. ill. Domus Dei c. II. n. 2.

Debitum ob amorem Christi liberaliter remissum.

Petrus Gironius, Urenæ Marchio, homini e domesticis, qui octo millia aureorum abstulerat, e fuga retracto, et in carcere maledictis furenti, præclare ignovit. Jussit feria sexta majori, reum in templum adduci, cumque humi crucem de more adoraret, viciniam in pelvim, stipis nomine, acceptas ab homine injurias omnes, ablatumque ab eo aurum, veluti jaceret, liberum jussit abire ac valere. RHO. I. 4. c. v. n. 6.

Pietas in parentes a patre docta.

Multis abhinc annis in quodam pago apud Sammites, juvenis quidam, cum vellet uxorem ducere, parentem annos ultra centum natum volebat rus ablegare velut exulem, et juvenuti suæ, et conjugii inivisum: eumque domo exegit, ac rus exultatum attraxit; quem cum ad ostium villæ produxisset, ac vellet discedere, senex lacrymans oravit, ne tam cito discederet, sed saltem ad mensam usque perduceret; eodem enim patrem suum a se fuisse olim adductum. Erat autem mensa, lapis in summo rure sub patula quercu, ad prandia et computationes expositus; hac re ille velut percussus, inquit: « Mi pater ea-

demne injuria a te illata est parenti, neque aliter mecum agetur? Hæcne merces, et grata filiorum mens in parentes? » Igitur illico mente mutata patrem domum reduxit, in præcipua, et commodiori ædium parte locavit, ac in nuptiali cœna summum illi locum dedit, ac semper deinceps illum coluit. NICUS ERNEST. cx 11.

Aeneas, siquid eminentissimus Vates ad fidem scripsit, Anchisem patrem tam pie coluit, ut capto filio per medios hostes et flammam humeris impositum, in Idam usque montem tulerit magis inter eundem grato operi timens, quam sibi aut filio, aut Creusæ conjugi, quæ e vestigio sequebatur. SABELL. I. III.

Venia hosti data.

Eques quidam ab inimicis suis circumventus grave vulnus accepit, et injuriam locisci constantissime voluit, ut placari non posset. Interim ab Capuccino egregio concionatore illac transeunte in visitur, rogatus ab amicis, multaque de venia ille dicebat, ut tandem alter annueret, se eis ignoscere; quoties autem vulnus curabat, recrudescente dolore, iterum injuriæ succensebat, ac hostibus suis. Id ipse læsus cum animadvertisset, Dæmonis astu agi, ut iterum odia illa redirent, veluti sibi ante vulnus curari amplius, quam tabelio accitus in publicas tabulas retulisset, hostibus se ignovisse. Eo factum cum medico vulnus aperiret, sanatum obductumque illud invenit, ut vix cicatrix vestigium ostenderet. Idem ex. 18.

Fructus Catechesis.

P. Edmundus Augerlus S. J. Confessarius Henrici III. Gallie Regis, in articulo mortis utrinque ad latus vidit adstare ingentem numerum parvulorum, quos Christiana olim doctrina imbuebat, qui toti alacres aderant, eum ad cœlum deducturi. Hic subit pia curiositas Patris animum, ut rogaret Deum, num alium fructum in animarum salutem fecisset. Cui Deus respondit, eum insuper quadraginta millia Hæreticorum convertisse. BARR. p. 3. c. II. devot. praxi 5.

Eadem miracula comprobata.

P. Ignatius Martinez S. J. vir sanctus sexdecim ultimos annos, nihil, nisi catechesin, parvulis tradebat, tanto solatio, ut rogaret moriturus Superiores, paterentur secum arundinem illam sepeliri, qua in catechesi uti solebat. Semel promiscue in catechesi rogabat, num adesset aliquis, qui vellet salutationem Angelicam recitare; cum rustica verecundia nemo vellet dicere, Infans sex mensium ab ubere matris pendens totam salutationem illam ad finem usque memoriter recitavit. Ibidem.

Hereditas in pauperes distributa.

Constantinopoli vir erat prædives, et pauperibus mire addictus; unde consentiente filio, quem habebat, omnia bona pauperibus erogavit: rogato prius filio, num paterna bona vero Deum curatorem mallet. Cui filius dixit: « Divitiæ tuæ hodie sunt, et cras non erunt, Christus autem manet in æternum. » Igitur pater bona omnia xenodochiis, egenibus, et ægris distribuit, nullis filio relictis. Qui tamen contentus, et Christi ope nixus videbat alacer. Interea mirata urbs tota est, et patris, et filii pietatem, pauperem tamen esse filium sinit, donec Deus illi caute prospexit. Erat Constantinopoli vir nobilis, cui unica erat filia, qui cum conjugio deliberans, num eam opulento, an pauperi sed morato marito traderet, suadente uxore, pauperem ei dare constituit. Statuunt ergo, ut bene mane uxor ad templum iret, et quem primum videret ingredi orandi causa, is maritus filie adlegeretur. Altero mane matre orante, juvenis hic ingreditur, quem illico mater per servum ad se accersit; a quo multa percontata, ubi intellexit, quid ejus pater se volente egisset, mater gavisæ, « Tu es, inquit, quem hodie in templo quæsi vi; » et mox domum adducto, annuente patre, volentem filiam despondit. Idem p. 4. c. ix. praxi 4.

Præsagia mortis varia.

In familia Prichoros Kiorum varia habent mortis præsagia. Si quis enim est moriturus venator, tunc canes, tibia, et voces venantium audiuntur; si quis equos amet; hinni-

tus; si quis musica delectatur, cantus personat. Hæc omnia aguntur in castro Skoczicz. In eadem familia habent, et hoc: est Pezestrici in templo duobus Clatonis milliariibus in altari e dextro latere statua S. Joannis Evangeliste, quæ quoties ex illa familia aliquis est moriturus, in terra mane absque ulla læsione invenitur, cum tamen sit fere in summitate altaris collocata. In familia Strogotik supra templum aut aliquod castellum eorum albus passer videbatur. In familia Genissecki de Agezhd hydra stannea sua sponte operculum cum strepitu claudit. In familia Dlavhoroskiorum ita cista magna clauditur. In familia Klenoroskiorum in templo Parochiali in arce eorum Polina ad Missæ sacrificium lumen exstinguitur. In Klenoroskiorum ante mortem ejuspiam feminalugubri habitu intrat per fenestras. In familia Steronbergiorum in templo Parochiali noctu lumina visuntur, quæ sinit in dextra parte, masculus moriturus; si e parte sinistra, femina. In arce, et filia Schwamberg alba femina familiaribus se inserit, nulli noxia. In arce Kamen familie Malovecz tria lumina prodigiose accensa, et hortulum arcis obœuntia. In familia Kolovrat uno milliari a Luna civitate in monasterio Rozzow lapis sepulchralis sudat, quo ad heros delato ad P. Priorem, qui est Ordinis S. Augustini, tota familia convenit, et post confessiones mortis arbitrium expectant. Familia Lobkovitz habet pro signo mortis campanulam sponte impulsam. P. ALBERT Kosneck. c. VII. Notat.

Gentiles alios ad fidem adducentes.

Adolescens gentilis P. Petro Almeida nuntiavit, quosdam Mauros cupere Christianos fieri, suorum iras, et sannas timere; egitque ita eorum causam, ut Pater Provincialis ei litteras ad arcis Lusitanæ Præfectum daret, quibus rogabatur, iis Mauris presidio esset, quare idem adolescens paulo post novem Mauros adducit baptizandos, ipse autem in suis erroribus adeo mansit obstinatus, ut ne verbum quidem de conversione sua audire vellet. Idem omnino egit Maurus grandævus, et medicus perissimus Gœc: is volentes ita duos filios, ac totidem famulos, ad P. Franciscum Barretum deduxit, rogavitque, ut eos vellet baptizandos. At ipse in alterius salute officiosus suam neglexit, in gentilismo obstinatus. Ex ep. illine missis.

Vocationis deserte pœna.

Studiosus quidam anno 1609. a patrum Capuccinorum familia retardatus, ut amitteret illum animum, Mussipontum mittitur, ubi tertio post mense lethali vulnere saucius patri nuntiatur. Filius parente superveniente tribus tantum horis supervixit, alieno quidem scelere læsus, pro auctore ipse deprecatus a patre veniam est, tum in fine causam mortis exponens: « Vides, inquit, pati, mi Pater, quem nuper Christi cruce in Capuccinorum insignitum passus non es ad astra totam viam appetere, eundem alieno facinore crudeliter morientem videre cogeres. » SODALITAS PARTHEN. I. II. c. VII.

Excommunicationis virtus.

Anonymus quidam Monachus in Scetana solitudine aliquandiu sancte moratus, demum jugum deseruit, contumaciæ penas detrectans. Alexandria a gentilibus exceptus, eum fidem deserere nollet, capite mulcatur corpore canibus extra urbem projecto. Fidelium opera latum sacrario corpus, cum sub Missa diceretur; *Catechumeni egrediuntur*, tumba secum tracta extra templum omnium stupore concessit. Cujus rei causam quidam cognovit divinitus, scilicet, quod Monachus parere recusaret, anathemate percussus, non potuisse in templo manere. Illo soluto mox quievit eo loco, quo primum positus erat. Quanta res inobedientia, quam nec martyrium satis potest expiare, quod tamen operit multitudinem peccatorum. KÖRERS in Virid. p. 4.

Abstinentia a certo potu mirabiliter impetrata.

Anno 1640. civis quidam Suffitii adeo erat in hanstium vini cremati propensus, ut diceret mori se malle, quam eo potu abstinere. Ei dormienti candidissimus puerulus ter adstitit, ab eo potus dehortatus: sed ille voces eas insuper habuit, donec penam sensit abstinentionis. Graviter enim corpore, et animo laborare cepit. Quare voto se obstrinxit, eum se potum non amplius hausturum. Tunc apparuit ei B. Virgo cum Infantulo, qui præ

gaudio ex ulnis B. Virginis exilire videbatur. Enim facillime abstinuit, mirante tota civitate: quin fatetur, se, si totus sibi mundus offerretur, velle ne vel guttam sumere. KANOWSKI in annot. c. VI.

Litanie omnium Sanctorum salutaris.

Dominicani olim gravibus malis, et persecutionibus pressi, in templo ad eas advertendas Litanias omnium Sanctorum instituerunt recitare, tam felici successu ut motibus compositis, seculares dein qui sciebant, ex quantis malis quo remedio fuissent erepti, dicere vulgo soliti sint: « Cavete a Litanis fratrum Prædicatorum: mira enim operantur. » CALEND. B. V. 15. Julii.

Aulicisus laudabilis.

B. Frater Joannes Ordinis S. Francisci hortulanus mire studebat Dei gloriam promovere; qui, cum Salmantice esset, ubi tunc Rex Castellæ degabat, ac Regis palatium adiret, stipsis petendæ causa, jussus est conclave regium intrare, ubi tunc Rex prandebat. Illic B. Frater advertit diligenter accurate mentem ad omnes ritus, quibus Regi inserviebatur ad honores, et reverentiam, quam Regi exhibebant, ad suavem musicam, quæ accinebat accumbenti Regi, ad vasa aurea, et argentea, quæ in abaco erant, ad omnes denique motus, et apparatus regie mensæ. Inde domum reversus, statuit eadem obsequio Christo exhibere, quæ viderat Regi præstita. Adit igitur templum, et comportat omnes candelas sacros, et patenas coram Venerabili, tum eos incipit complodere, ac velut instrumenta musica ad edendum sonum compellere, quibus, et ipse suam vocem adjungit, modulatus, ut potuit; interim iteratis genuflexionibus, et reverentia Venerabili sepius exhibita aulicorum more, eum admiranda pietate, quæ omnes adstantes ad studium divine gloriæ accendit: qui attoniti tam raro spectaculo, vix inde poterant avelli; dum ille diu suam pietatem continuaret, ac sepius exclamaret: « Tunc est, tunc est hic honor, quem exhibeo, o Rex cœli et terræ, qui honore dignus es: » Ita diu perrexit, nulla habita adstantium ratione: donec bene fatigatus, lacrymis madente

vultu, animo incenso, oculis in venerabile defixis, se humi toto, ac prorecto corpore prostravit, animi suspiriis debilitatem corporis supplens. BARRY. 3. praxi 4. anni Sancti.

Mirum ad sanctitatem comparandam motivum.

Columba Reatina audiit Concionatorem dicentem de ingenti numero Sanctorum: pro argumento aiebat ille singulas urbes habere proprias, et indiget Sanctos, quorum multos recensebat. Tum illa, cum nullum audiret a patria sua nominari, cum tribus aliis puellis statuit Concionatorem adire, et rogare, num nullus Reatinus esset sanctus. Ille negabat, ullum se scire, cupere autem, se ut ille sint primæ, aut una saltem earum. Gavisæ hoc responso sortite sunt, penes quæ ea dignitas esset futura. Sors Columbam attingit. Quare ad Sacerdotem reverso, cupiunt eam sortitionem ab eo ratam haberi. Ita Columbe sorte imposita est necessitas, ut sancta fieret, prout facta est. Idem p. IV. c. III. praxi 6.

Innocentia cum gaudio manifestata.

E Societate quidam nobili Matrone conscientia præerat eximia forma prædita, non minori pudicitia; hanc juvenis deperibat, qui, quod videret, Matrone pudorem salvum fore, quamdiu a Patre defenderetur, Patrem ab illa per criminationem avertit. Superiorem enim adit, ac fictis testibus probavit, eum diuturnam cum illa stupri consuetudinem habuisse. Ita Pater innocens accusatus, graviter luit; in villibus enim muneribus occupatus fuit: quæ tamen fortiter obivit. Interim crinimator lethali morbo oppressus, eum confiteretur, inter alia hoc aperuit, se Patri injuriam fecisse. Tum Sacerdos asserens, eum absolvi, nisi restituta fama, non posse, neque alteri incusari, qui Sacerdoti facultatem dedit faciendi, quod videretur. Tum ille rem ad superiorem detulit, qui Patrem gavisus et amplexus innocentem, eum antiquo loco restituit. NITTAS ex. 43.

Pericula castitatis vitanda.

Recensuit Nicio P. Franciscus Rocca S. J.

ejus Confessarius, ut sequitur. Abbas erat, eujus Monachi ad res domesticas volebant opera cujusdam mulierculæ uti; ille vero conatus est, periculi vitandi causa, hoc Monachis dissuadere, quod tamen non potuit, quod crederent a sordida muliercula nihil imminere periculi. Abbas igitur, ut eis errorem dextre ostenderet, quodam die jussit coquum cibos omnes ultra solitum sale condire. Eo facto, finitaque mensa, studio Abbas foras egreditur, asportatis cellæ non tantum, sed etiam putei clavibus. Interim Monachi ob salsos cibos siti prope enecti, cum nec e cella possent, neque e puteo libere, urgente siti in culina tandem eluvium (solum enim culinam in eum finem reliquit apertam) libunt, ac reversum Abbatem ideo objurgant. At ille prudenter occasione usus, eos edocuit, quantum etiam in sordida muliere tempore tentationis periculum imminet pudori. Idem ex. 34.

Regnum erigua potentia.

Philippo II. Hispanie Rege cum filio adhuc puero Philippo III. venatum egresso, subitus imber ingruit; tum puer Patrem rogavit, vellet nubibus ac cœlo imperare, ne plueret: Cui Rex respondit, se hoc non posse, esse hoc altioris potestatis: quibus intellectis puer, qui tam multa sæpe audiebat de Patris potentia jactari; « Quid audio, inquit, o Pater! tam parvam rem prestare non potes? Quid, si quid majus postulassem? Jam plane comperio, te nihil posse. » Tum Pater: « Deum igitur time, qui plus omnibus potest. » Idem ex. 74.

Modestia a Crucifixu pensata.

Post Completorium olim quidam ex Ordine S. Francisci eo loco, ubi Crucifixus erat positus, insolentius ridebant, tum imago Crucifixi grandem clamorem edidit: unde illi attoniti cum Crucifixum aspicerent, viderunt vultum ejus inflammatum, et oculos ira ardentis, veluti si Christus esset indignatus, ei loco, ubi ejus effigies esset, tam parum reverentie haberi; neque irritum fuit prodigium: illienim deinceps ad omnem occursum imaginum Bedemptoris erant mire modesti; ii vero, qui erant aliquanto insolentiores, paulo post contabuerunt, et intra paucos dies sunt mortui. BARRY. p. 4. c. VIII. decot. 2.

Nuditas membrorum in somno vitanda.

Carpentarius quidam Religiosus, et ut vocant, Conversus Ordinis S. Benedicti, cum nocte quiesceret aestate in dormitorio, ubi erat pro more lampas accensa, cumque se ad somnum invitaret, apparuit vultus enormis qui prope jacentis lectum residebat, cujus funestæ avis adventu exterritus, videt insuper prope suum lectum adesse duos Demones humana specie, qui versi ad vulturem, « Quid hic agis, inquam, nihil ab istis Religiosis obtines? Nihil, ait vultur, sunt enim signo crucis muniti in fronte, et aliquid ante somnum ex Psalmis mussarunt, et quia nihil proficito, huc me quietis causa contuli: sed unde vos estis? Successitne potior vester conatus, quam meus? Omnino, respondent, venimus Catalano, ubi nullum induximus, ut vim hospitæ suæ inferret, dein monasterium prætergressi, effecimus, ut illic Iudi Religiosus moderator juvenem discipulum corrumperet. At tu iners pecus nihil hic agis, cum assistas Religioso huic, qui nos respicit, vides utique eum frigus captare, et indecenter jacere, nuda tibia extra lectum protensa: cur indecoram tibiam non verberas! » Vix hæc dixerant, cum alter Dæmonum correptam asciam, quæ sub lecto jacebat, totis viribus in Religiosum vibrat, et successisset ictus, nisi his auditis pedem intra lectum retraxisset: unde ictus homini destinatus lecti lateris ligneum offendit, quo facto illico disparuerunt, apparente tamen in ligno securis vestigio. Idem p. 3. c. n. præxi 2.

Puella mirabiliter ad Baptismum perducta.

Alexandriæ in Ægypto quidam veritus ob debita perpetuos carceres, jam volebat se ex arbore suspendere: hunc miserata nobilis puella adhuc gentilis, omnia sua bona illi offert ad debita expungenda, quæ ille accepit: sed puella depauperata, ut se deinceps sustentaret, turpi questu se aluit, quem diu sectata, tandem ergo ægrotat. In extremo tamen prope agonem a Deo illustrata voluit Christiana fieri. Sed id eam agebat, quod infamis ob præriorem vitam patrum pro baptismo non esset reperta. Tum ecce juvenis adest ei persimilis, quem olim a laqueo suis fortunis eripuit, et intellecta meroris causa

eam consolatus, opem ei suam promittit, et abit. Mox reversus duos alios secum dignitate et specie magistratu similes adducit, a quibus ad templum deducta, et vocato Sacerdote, baptizata est, uno eorum patrum vicem subeunte. Vicini, uti et Episcopus, mirabantur, prostituta puellæ aum fuisse quam baptismum conferre, et ejus patrum esse. Episcopus præsertim, qui ad se Sacerdotem, qui ipsam baptizaret, evocatum rogat, cujus auctoritate id egisset? Is respondit, a duobus e Magistratu eo se fuisse adductum. Ergo Episcopus ipse puellam iterum decumbentem adit, et rogat, qui tandem boni egisset, cur a Deo baptismum esset donata (suspicabatur enim Episcopus, aliquid divinitus contigisse). Illa tandem, fassa se peccatricem, recensuit, quid cum desperato homine egisset. Idem p. 4. c. 1. præxi 2.

Muri Monasterii osculo honorati.

S. Maria Magdalena de Pazzis amore religiosæ vocationis sæpe visa est Monasterii muros exoculari; causam rogata dicebat: « Ah! sorores, annon æquum est, ut id agam? Hæc sunt saxa et muri, qui me ab infelici mundo separant, et securo loco thesaurum inestimabilem meæ puritatis attinent. Hæc cogitatio me ad incredibilem dilecti mei amorem excitulat. » Idem Cent. 3. *illust.* c. xiii. n. 1.

Tentatio vehemens erga vetula.

Miles Sacerdoti confessus, hanc unam poenitentiam subire jussus, ut stans sub sylvestri pomo, quo acerbissima poma et esui ingrattissima ferebat, nullum inde pomum comederet, cum antea sponte sua abhorreret a tam agresti cibo; ita tamen post datum imperium cœpit illis pomis tentari, ut dum secum conflictatur, nec vinci se contra mandatum a gula tam importuna patitur, mori prævehementia appetitus, quem repressit, debuerit. *Specul. exempl. dist. 6. ex. 46.*

Mira Regina in S. Martinum pietos.

S. Martino Episcopo uxor Maximi Imperatoris (viri ceterum a Sulpitio laudati, nisi quod impositum imperium vi, et bellum civile

Patientia probata et approbata.

non vitavit, et qui sæpe pios cum Martino sermones habuit velut Magdalena Christi ad pedes affusa, omnem Regiam dignitatem posteriorum pedibus ejus habuit; ut denique Martinus a Rege et Regina compulsus fuerit pati, ut sibi omnibus remotis ministris a sola Regina serviret. Ipsa igitur parat mensam, sellulam sternit, aquam manibus ministrat, cibum, quem ipsa coxit, offert: demum eminus solo fixa immobilis et modestiam et humilitatem servientis exhibet, bibituro miscet, et proponit, finita cena micas colligit, et velut catellus illis pascitur. *SCLPT. Sev. in vit. l. III.*

Dilectio ægrorum singularis.

Franciscus Titelmannus Capuccinus, vir admodum doctus, litterarum posita cura, ægros curabat; rogatus ab amicis ejus rei causam, digito in ægros intento: « Hi, aie bat, sunt mei Chrystotomi; hi mei Augustini: quia supereminet, juxta S. Paulum, scientiæ Charitas Christi. *Ruo. l. I. c. vi. n. 25.*

Mundi turpido ostensa.

Erat quidam nobilis in Austria totus mundo deditus, quadam nocte solus ante castrum suum in virgultum pulchrum floribus (ut melius de mundi pompa posset cogitare) descendit. Quædam igitur domina super humanam æstimationem formosa, et honorata se ei præsentavit, dicens: « Ecce adsum, quam tanto amore hactenus dilexisti, ad me accede. » Ille vero gaudens valde ipsam diligentius perspexit, se beatum reputans, quod aspectu et affatu talis dominæ perfrui dignatus fuit. Et illa: « Sicut me ante bene vidisti, ita me retro intuearis. » Vidit itaque in dorso eam plenam vermicibus, putredine, immunditia et fetore: itaque horror istorum omnem gloriam prius visam superabat. Ad quod nobilis in stuporem raptus, et nimis territus est. Ad quem illa: « Ego sum gloria mundi, et tales sunt fructus mei. » Ad verba hæc imago disparuit, et nobilis emendatus rediit, et mundo renuntiavit Deo vivens. *DISCPL. PAOMPT. lit. M. ex. 69.*

Pax quomodo servanda.

Erat duo fratres secundum carnem germani: verumtamen utrique in spirituali proposito Monachi existentes. Insiadibatur autem eis malignus spiritus, ut quocumque modo separaret ab invicem. Quadam autem die ad vesperam secundum consuetudinem ille junior frater accedens lucernam posuit super candelabrum. Faciente autem malitia Dæmonum, ruit candelabrum, et extincta est lucerna. Per hanc occasionem insidiabatur eis Diabolus, ut eos in litem accenderet. Surgensque senior frater, cœpit percutere fratrem suum. Ille vero prostratus in terram deprecabatur fratrem suum dicens: « Magnanimus esto, Domine, et ego rursus incendam lucernam. » Ergo quod non respondit ei turbulentum verbum, malignus spiritus confusus statim recessit ab eis. Et pergens eadem nocte nuntiavit

principi Dæmoniorum dicens: « Quomodo propter humilitatem illius, qui prostratus in terram veniam postulabat a fratre suo, non prævalui in eis; vidensque Deus humilitatem, et voluntatem hujus Monachi effudit super eum gratiam suam, et ego sentio me valde torqueri, atque cruciari, quæ quomodo non prævalui eos separare ab invicem. » Hæc ergo omnia verba cum audiret idolorum Sacerdos, qui ibi commanebat, compunctum est cor ejus in timore, et amore Domini nostri Jesu Christi. Considerans etiam, quam magna seductio, et perditio animarum est cultus idolorum, relinquens omnia statim festinanter ad sanctos Patres ad Monasterium perrexit, et retulit eis hæc omnia, quæ per malitiam Dæmones inter se loquebantur. Cumque monitis salutaribus instruxissent eum Sancti Patres de doctrina Domini Salvatoris, baptizatus est, et sancto proposito Monachorum vitam arripuit, et adjuvante, et cooperante gratia Domini factus est probatissimus Monachus. Tantumque veneratus est, et tenuit humilitatis virtutem, ut omnes humilitatem ejus mirarentur. Dicebat enim, quod omnem virtutem adversariorum nostrorum Dæmonum humilitatis solvit intensio. Denique et Dominus noster Jesus Christus per humilitatem triumphavit, Diabolum et omnem virtutem ejus contrivit. Addebat etiam dicens, quod frequenter audisset Dæmones inter se loquentes: quia quando iracundiam accendimus corda hominum, si qui sustinerint patienter injuriarum convicia, et conversi magis rogaverint ea, quæ ad pacem sunt, dicentes: quia ego peccavi, statim sentimus omnem nostram virtutem marcescere, et appropinquat eis gratia divine potentie. Ibid. ex. 31. ex. vii. P. P.

Correctio omissa nocet.

Erant duo fratres in Monasterio uno. Unus erat gratusus Abbati, et cæteris fratribus, alter autem non erat gratusus, et quiddid deliquit immediate ab Abbate punitum fuit, sed alii frequenter pepercit ipse Abbas in suis negligentis, quia gratusus erat omnibus. Contigit, ut illi ambo morerentur. Apparuit autem ille, qui gratusus fuit Abbati, dicens, se esse in magnis pœnis. Et Abbas: « Ubi est nunc ille infelix, qui plures negligentis, quam tu, commisit. » Et ille: « O Pater, ipse non est infelix, nec miser, quia jam est in

clara visione Dei; quia quiddid hic cum negligentia deliquit, immediate hic punitum fuit, et sic satisfecit: sed mihi, Pater, sæpius pepercisti in meis negligentis, eo quod gratusus fui tibi, et cæteris fratribus; ergo jam graviter torquor in purgatorio. Sed, Pater sancte, ora Deum pro me, et recommenda me cæteris fratribus meis in suis Missis, et orationibus, quia valde affligor in purgatorio. DISCIPL. PROPR. 36 lit. II.

Dispositio bonorum ante mortem faciendâ.

Eremita quidam vidit in visione multas animas in diversis statibus, inter quas vidit unum virum sedentem, et stabat una mensa ante eum repleta omnibus bonis; alia mensa stabat retro eum vacua; quem quæsit, quid hoc notaret: Respondit: « Mensa illa, quæ stat ante me sunt opera misericordiæ, quæ feci ante mortem, et illis bonis modo utor; mensa vero retro me posita sunt quæ disposui, cum adhuc viverem, et mandavi uxori, et pueris meis, ut animæ meæ subvenirent elemosynis, et suffragiis, in testamentis. Et ecce adhuc vacua est; quia occupaverunt se temporalibus rebus dividendis, qui mei oblitii sunt. Unde dicit sapiens: Fac bene, dum vivis, post mortem vivere sive. Unde etiam Ambrosius: Hoc tantum tuum repuda, quod pauperibus erogasti. DISCIPL. PROPR. lit. E. ex. 8.

Eadem aliis non committenda.

Quidam dives in articulo mortis tres filios suos ad se vocavit, et seniori dixit: « Nescis fili charissime, multas possessiones vobis reliqui, quas olim conservavi, quas debuissim pauperibus erogare, et ideo fortassis ad purgatorium ibo. Dic, quid daturus es pro anima mea? » Ac ille plurimarum celebrationes Misarum, et largas elemosynas se facturum promittebat. Similiter secundus promittebat. Hos duos pater laudavit, et hoc dicto risit tertius. Quæsit autem a minore, quid de eo deberet sperare. At ille: « Pater, nec unum denarium promitto pro te daturum. » Et cum malediceret illi pater, filius ait: « Dum vivis, pater, bona tua pro salute tua distribue; nec committas mihi, nec aliis fratribus meis, possessores enim rerum tuarum facti, quomodo te juvabimus, cum tu amore nostri te

juvare nolis? Utilitatem enim suam unusquisque nostrum plus, quam te diligit: et de te amplius parum curabit, nec sollicitus erit. » Hunc osculando fratribus præferbat, veritate audita; et divitias suas pauperibus erogabat pro salute propria. Ibid. lit. F. ex. 43.

Infidelitas hæredum.

Obsessus quidam, dum duceretur ante domum cujusdam civis, qui edificabat in altum domum magnam, et sumptuosam, risit. Quærentibus, cur risisset, respondit: « Iste edificat, quasi semper vivere debeat, et ego scio, quod mala morte morietur ante noctem; quia interficietur. » Hoc eo dicente, risit secundario; et cum ab eo quæreretur, cur risisset, respondit, quia iste morietur, et relinquet divitias suas, quas cum labore acquisivit, alienis. Cui cum diceretur, quod haberet hæredes, quibus deberentur divitiæ, respondit: « Omnes sui hæredes erunt sibi satis infideles, quasi alieni essent, quasi eis nunquam aliquid fecisset; quia iste morietur, et accipiet hæredes pecuniam, et obliviscetur animam suam. » Et hoc dicto, risit tertio, et cum iterum causa risus quæreretur, respondit: « Rideo de justo Dei judicio, quia fiet isti diviti, sicut ipse fecit; quia, quando pater ipsius moriebatur, promisit pro patre suo soluturum debita sua, quæ pater post se reliquit, et insuper dare largas elemosynas, et sibi comparare multas Missas; sed mortuo patre modicum, vel nihil, fecit: simuliter fiet illi ab hæredibus suis. » Ib. ex. 44.

Pater a filio salubriter correctus.

Cum quidam dives, et potens jam senesceret, mortua uxore sua, filio suo, quem multum diligebat, tradidit uxorem. Qui ait patri suo: « Pater committe mihi omnia bona tua, ut sic vivas sine labore. » Quo annuente fecit ei lectum in camera pulchra. Sed, cum uxor juvencula non posset eum pati propter tussim de nocte, filius ex rogatu uxoris locabat eum sub quodam gradu. Qui sustinens pauperitatem, et frigus in hyeme clamabat ad filium, ut daret ei vestem. Tandem filius emit quatuor ulnas, et dedit patri duas, et sibi duas servavit. Hoc videns filius parvulus, accipiens illas duas ulnas abscondit in muro,

et dum diu quærerent in domo, et non invenirent, dicit parvulus: « Scio, ubi sunt. » Cui pater: « Cur abscondisti? » Qui respondit: « Ad hoc servabam, ut operirem te in senectute tua, sicut tu patrem tuum. » Et ait pater: « Non amplius facies. » Cui filius: « Certe in tantum, aut minus. » Quo audito, dixit intra se: « In caput meum istud redundabit in senio, idem faciet mihi exemplo meo inductus. » Statim horum pellicium misit patri per parvulum filium, et reassumpsit eum in domum suam, et exhibuit ei omnem honorem, et reverentiam, et eum amplius multum pie tractavit; ut in hoc exemplo parvulus disceret, quomodo ipsum in senio suo tractare deberet. Ib. ex. 45.

Filii a patre astute decepti.

Quidam prædives habuit pueros, quos nunquam tradens, ditavit eos divitiis suis. Tandem ille depauperatus est, et non curatur a pueris. Ille autem convocans pueros suos, singulis tradens claves pro scrinio, in quo posuit mallem gravem, quasi esset pecunia, retenta sibi una clave, ne ad scrinium venire possent. Dixitque pueris: « Hæredes mei, et dilecti mei estis; post mortem meam aperiat scrinium, et ibi invenientis litteram, per quam scietis, quantum unicuique legaverim. » Ob hanc spem singuli certatim involverunt, et juverunt patrem; quia dicebat, quod volebat diminuire de his, quæ erant in scrinio, ut singuli habeant ad plenum, quod eis ordinarat. Post mortem suam, aperto scrinio, invenerunt mallem, et litteram hoc continentem: Dignus est homo ille ad caput cum malleo percuti, qui tantum tribuit pueris suis, eisque confidit, ut distractis omnibus nihil sibi retineat. Ib. ex. 47.

Excommunicationis æstimatio a brutis docta.

S. Gregor. IX. aliquando divitem excommunicavit, qui cum contemneret excommunicationem Papæ, tunc miraculo Dei ciconie, quæ nidificaverat super domum ejus a domo ejus recesserunt, et nidum transtulerunt ad domum alterius. Quod videns dictus contrumax, et admonitus a cognatis suis, qui hoc idem consideraverunt in ciconiis, postea humiliavit cor suum, petens absolutionem.